



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 54. Synodum Pisis Mediolanum transferrendi ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

§. LIV.

Synodum Pisis Mediolanum transfe-
rendi ratio.

Præterea Florentini alio eventu territi, inconsultam suam, qua Synodum in sua ditione celebrari permiserant, facilitatem damnabant; Accidit enim, ut Clerici Florentini, cum Prælati supplicantium more Ecclesiam Cathedralem accederent, hos ad chorum admittere, illisque ad rem divinam ibidem peragendam necessarium apparatus concedere renuerent. Conqueruntur illi apud Magistratus, qui quamvis omnes patria Florentini essent, Clericis tamen præceperunt, ut Synodi Patribus accessum ad chorum indulgerent, facultatem interim Clericis dederunt, ut Patribus chorum ingressis, ipsi eorum cætibus non assisterent, sed mox abirent, non redituri, nisi illis inde recedentibus. Igitur hi Præfules, cum Synodum suam Florentinis indies magis exosam fieri haud obscure intelligerent, de alio loco cogitare cæperunt, demum vero novo casu turbati, omnino urbe excedere decreverunt; contigit enim, ut quidam equites Galli ad Arni pontem in quamdam Florentini præfidiarii militis meretriculam incurrerent, ac cum illa primo jocarentur, illamque, cum durioribus

Raynald. hoc
an. n. 92.

ribus verbis eos exciperet, injuriis quo-
 que afficerent; mox Florentini milites
 puellam erepturi accurrunt, eam tuen-
 tur, gladiosque stringunt; Gallis vero
 vim repellere conantibus, verborum con-
 tentio ad cruentam cædem degenerasset,
 nisi utriusque nationis Belliduces dimi-
 cantium furorem cohibitori, omnem su-
 am auctoritatem impendissent; Lautre-
 cus quoque & Castillionæus, cum ad
 hunc rumorem accurrissent, leviter sau-
 cii recesserunt. Patres, quoniam tumultus
 in quodam compito prope Ecclesiam,
 in qua tertiam Sessionem eodem tempore
 celebrabant, contigisset, tanto terrore
 percellebantur, ut unanimi suffragio Sy-
 nodum suam Mediolanum transferre de-
 cernerent, spe freti, ibidem securitati
 suæ magis consultum iri, eisque majo-
 rem reverentiam esse exhibendam, cum
 præsidium hujus urbis nonnisi ex galli-
 cis copiis constaret.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1511

§. LV.

*Cæsar suis Prælati accessum ad Syn-
 nodum concedere cunctatus.*

Potissimum vero anxias Patrum curas
 augebat Germanorum Prælatorum ab-
 sentia, qui Synodum accedere abhorren-
 tes, ægre Cæsari dederunt, ut Augustæ
 conventus ageretur, in quo, an Germa-
 niæ

Marian. lib.

30. n. 24.

Spon. ad an.

1511. n. 25.